AMBRATII DE ALIS APVLI PHILOSOPHI, AC MEDICI SPECVLATIO:

In qua de Scientia, quam Deus aliorum a ſe habet, diſputatur.

AD STVDIOSOS Iuuenes.






PATAVII

Apud Laurentium Paſquatum.

M. D. LXV.

AD CANDIDATOS LECTORES.





VONIAM Magnificus Hieronymus Capellus, Iuuenis tam doctus, quàm probus, communi studiosorum utilitati consulens, multis & assiduis praecibus permouit me, ut post diuulgationem nostrae speculationis de subiecto adaequato libri de coelo. Aliam quoque speculationem de scientia, quam Deus aliorum a se habet, a me partam, elapsisque diebus publicè in cathedra disputatam, tipis impressorijs excudi uellem. Tantae Magnificentiae multiplici rogatui obtemperans, eam imprimi permisi. eoq; magis feci, quod ipsa uoluit (cuius uoluntati qua nihil modestius, nullam praemitto aliam) quò illam nostrorum scriptorum indefes-

ſam ab aliorum calumnijs propugnatricem cognouimus: Quare non eſt, ut aliorum morſus extimeſcamus.

SPECVLATIO DE SCIEN-
tia, quam Deus aliorum
á se habet.



VONIAM Res illas superiores, tam & si leuiter attingere possumus, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam amplius oblectamur, quã cum hæc nobis iuncta omnia tenemus, de Scientia Dei in gratiam nostrorũ Auditorum, & claris natalibus ortorum, & ingenii acrimonia præditorum, sermonem habebimus, in hanc descendentes arenam. Num uidelicet primum Ens se dumtaxat, uel etiam alia á se intelligat? Enimuero, cum in hac ardua difficultate quid affirmandum, quidue negandum sit in medium afferre, multum sit negotii, in ea quám optimum erit initium, si rationes utrinq; oppositas afferemus, ab his auspicantes, quibus Deum alia á se minime prospicere, solitum est probari. Quippe quarum prima eiusmodi est. Si Deus alia á se cerneret, ea sanè uel intuitiua, uel abstractiua, uel simplici & incomplexa, uel com-

plexa, uel discursiua, uel uniuersali, uel particulari, uel absoluta, uel relatiua intellectione cōciperet. Sed nulla ex prædictis cognitionibus uidetur ea intelligere posse. Nempe nō intuitiua: nā tunc ea in proprio ipsorum esse, subq; indiuidui ratione agnosceret, quare ab illis moueretur, atque perficeretur, quod uero consonum non est. Neque abstractiua, quādoquidem illa nō in proprio eorum, sed alieno esse, nimirum in sua essentia intelligeret. Quapropter, confuse' & non distinctè illa uideret, Nā quod nō in se sed in alio cernitur, non clarè sed obscurè agnoscitur, atqui ex diuino intuitu omnis obscuritas omnis'que confusio relegatur, qua de re alia à se non in esse alieno concernit. Neque simplici & incomplexa intellectione, siquidem unum dūtaxat & non omnia uideret. Neque complexa, & discursiua: Nā hæ cognitiones è noscentis imperfectione proficiscuntur, qui planè cuncta simul agnoscere non ualens, cum non omnia sibi unica, atque clara intelligendi ratione præsententur, primò quidem ea sigillatim intelligit subinde uerò eadem in unum redigens affirmando, uel negando enunciationem efformat, at hæc diuinæ intellectioni minime congruunt. Neque uniuersali conceptione, ipsa enim per abstractionē à singu-

laribus efficitur, quæ non est absque phantasmatibus, singularia a sensibus appræhēsa repræsentātibus, sed in Deo sensus non sunt, ob idem quoque singularis esse nequit. Neque absoluta, nanque uniuersitatis genitor alia a se non cognoscit, nisi quatenus illa ab eo sunt causata, ipse uerò illorum causa existit. Neque relatiua, quoniam esse relatum diuinæ essentiæ additum esset ~~est~~, atque ita in ea compositionem ~~facit~~, quam faceret uerè illa renuit. Subinde, hunc idem astruitur in modum. Si qui cunctis uotis expetendus est, omniumque entium parens existit, aliud a se contemplaretur, illud aut per aliud a sua essentia, aut per eam suo repræsentaretur intellectui, non quidem per aliud, ne fateri cogamur, illum per aliud perfici: neque uerò per suam essentiam, quoniam, uel tunc diuina cognitio in illa sisteret, uel ab eius speculatione in alterius contemplationem migraret, porrò neutrum horum cõtingit. Non hercle primum, nam illud in proprio eius esse non cernens, non clarè sed obscurè perspiceret. Alterum uerò minimè, ne illud suscipientes, ipsum a nobili ad uilem transire cognitionem affirmemus. Denuo, si summum atque infinitum ens aliud a se animo conciperet, uel illud æque clarè atque perfectè ac se prospi-

ceret,quod utique haud afferendũ eſt. Nã ſummum Ens magis ſe, quàm aliud ſpeculatur, uel non æque clarè, & perfectè, quod neque admittendum eſt, ſiquidem in primo omnium principio eſſet compoſitio, alia aliaq́ uiſione ſe, & alia concernens. Inſuper, qui ante omnia colendus eſt, ſe aliaq́ uidens uel ſimul, uel ſucceſsiue ſe & alia uidet, ſed neutrum ponendum eſt: Nam ſi ſimul, ſequeretur, unà plura intelligere, ſi uero ſucceſsiuè, uel aliena adueniente uiſione ſuiipſius cognitio deficeret, quod prorſus dicendum non eſt; uel non deficeret, ſed reſtaret, ergo idem quod prius emergeret, ſcilicet Deũ ſimul plura intelligere. Quin etiam intellectio diuina intellectui diuino eadem eſt, ergo & intelligibile eidẽ erit idem, nam ſi hoc ab eo erit aliud, & illa erit alia, at illa (ut dictum eſt) non eſt alia, ergo neq́ & intelligibile erit aliud. Immenſa itaq́ ſapientia aliud à ſe non cernit. poſtremo uero ſi Deus alia à ſe non ignoraret, non tantum neceſſaria, ſed etiam contingentia cognoſceret, cum nõ magis illa, quàm hæc uideantur. Verũ ſi contingentia ab eo perſpicerẽtur, non amplius contingentia remanerent, ſed neceſſaria euaderent. Diuina namq́ conceptio atq́ ſcientia, quæ rerum cauſa exiſtit, neceſſaria eſt, alioqui uariabilis atq́ mutabilis eſſet, quod omnino uitandum

eſt.

eſt. qua de re aliorũ à ſe diuina cognitio ſi eſſet, è medio rerum cõtingentiã auferret. nempe his pro parte negatiua, Deum ſcilicet alia à ſe non perſpecta habere rationibus explicatis. rationes pro affirmatiua parte. Nimirum finem non ſub fine, ideſt Deũ illa appræhendere, ſunt exponendæ. Nam hunc in modũ noſter intellectus in hoc abſtruſisſimo quæſito ueritatem compertã non habens, ad eam inueniendã diſponetur. Etenim ipſe in aliquo hæſitans, atque ambigens per inde ſe habet, ac homo ambas manus ligatas habens, qui ſi quo ad eas diſſolui cupit, indubitato modo unam, modo aliam mouere debet: Nam hoc modo a ligamine illo liberabitur. ob id ſanè argumẽtis pro una parte indicatis, non immeritò pro oppoſita rationes adducendæ ſunt. poſterior enim facultas, ſolutio eorum eſt, quæ ante dubitata fuerunt. harũ quidem prima hæc eſt. Si primus Motor alia à ſe non proſpiceret, quã homo uiuus uilior eſſet, ſiquidem homini mortuo propinquior foret, qui ſanè neque ſe, neque alia cognoſcit, homo uerò uiuus, & ſe, & alia uidet, Deus aũt ſe tantum modo, & non alia intelligeret. Præterea, diuinus intellectus humanum ſuperexcellit intellectũ. ergo cum hic & ſe, & alia cognoſcat, & illi idem denegandũ non eſt, alioqui aſſumpti oppoſitum contingeret. Exinde

& postremo, a' Deo & cœlũ, & tota natura de- pendet, quare eadem ipsum minime latent: Nã nobilissimæ causæ, quæ omnino Deus est, nobilissimus debetur procreandi modus; qui plané per intellectum, & uoluntatem est. primum itaque principium alia à se cognoscit. Iam uero tanquam aduersariis feré cunctis utrinque rationibus oppositis auditis, definiendum est, quid in hac nõ facili speculatione tenendũ, quidue refellendum sit. etenim quod intendimus explicare tentantes inde exordimur. Deus intelligens est, quoniam à materia est seiunctus, quam ob rem mẽs existit, atqui rationi minimé consonum est, ut una ex parte mens sit, ex altera uero' amens, porrò hoc tunc eueniret, quando se dumtaxat, & non alia intelligeret; quapropter omni ex parte mens existens, & se & alia cognoscit. In primo utique scilicet Deum se cernere omnes conueniunt. In altero uero, nimirum alia a' se contemplari non omnes sunt concordes. quandoquidem Auerroes quinquagesimo primo cõm. diuinorũ duodecimi: Deum se solum, & non aliquod extrinsecum intelligere fatetur: in hocq; ipsi Themistio tergiuersatur, cuius quidem hæc sunt formalia uerba. Et cum hoc ignorauerit Themistius, dicit possibile esse, quòd pri

mus intellectus multa intelligat intelligibilia, hoc autem nostro cōtradicit sermoni: Dicimus enim se solum, & non aliquod extrinsecum cognoscere: potuit quidem Auerroes ad id asseuerandum impelli ob rationes in principio huius speculationis adductas, quibus primum intellectum alia a' se non cernere probabatur. Verum quoniā Deus, (ut ante paulum ostendimus) omni ex parte mens existens, & se & alia perspicit, quod etiam rationes in oppositum eius, quod in principio astruebatur, indicant, hocq; existimare debemus, sic uerum esse, ut eo nil uerius sit, unde fit, ut ipsum tenentes, ac contra omnes proteruos acriter defendentes. primum huic ueritati Aristotelem ipsum se subscribere, exinde uero eius Simiā nempe Auerroem, quāuis inuitū. Item Alexandrum Aristotelis familiarissimum. Demum eidem Theologicam consonam esse rationē ostendamus. Me hercle Aristoteles octuagesimo textu de Anima primi, nec non decimo tertio, atque decimo quarto textibus Diuinorum tertii in Empedoclem, Deum discordiam non appræhendere affirmantem inuectus, scite` pulchrèq; ex hoc uano fatuoq; eius dicto intulit: diuinum intellectum humano intellectu insipientiorem esse, cum non hunc, sed illum discordia

lateat, rursus idem in Meteororum primi exordio perbelle inuulgauit, inferiorem hunc mundum superioribus continuari lationibus, quo omnis eius uirtus inde gubernetur, reuera hæc Aristoteles, ex quibus diuinam mentem hæc cõcipere inferiora deducimus. Quoniam supremo Rectori supremus regendi modus debetur, quippe qui per intellectum uoluntatemq́ʒ est. igitur supremus Rector hæc gubernans inferiora, eadem cernit. Nempe Alexander in Aristotelica philosophia uir maximi nominis istuc ipsum olfaciens ex his ad Aristotelis aures Deum inferiora hæc curare excerpsit. Insuper trigesimo octauo textu Diuinorum duodecimi a Deo cuncta inefficientis causæ genere dependere testificans. A primo (inquit) principio tum cœlum, tum natura dependet, efficientis enim causæ ipsum, a, uel ab, ueluti formæ ipsum, per materiæ uero ipsum, ex, finis autem ipsum gratia cuius, proprium est designatiuum. Vt domus singulas explicantes causas, eam ab ædificatore ceu efficiente causa, per hanc figuram tanquam per formam. Ex lapidibus, lignis, atque cemento ueluti ex materia, nostri uero, bonorumq́ʒ nostrorum salutis gratia, ceu ob finem esse asserimus. Nimirum Aristoteles ratum faciens, tum

cœlum,tum naturam,a Deo dependere,cum ipsorum efficientem causam esse asseuerauit. At uero,ut significauimus, præstantissimæ efficienti causæ præstantissimus efficiendi modus conuenit, qui dubio procul per intellectum, atque uoluntatem existit, Deus igitur apud Aristotelem,alia a se cernit,neque ambigendum est.quin ista eius fuerit mens. hactenus de Aristotele. Quo autem ad Auerroem attinet, dicimus ipsum quoque, & si per uim in hanc se conferre sententiam,idq; ostendere perfacile est. Nam ipse,ut inde auspicemur,septuagesimo quinto cōmento physicorum secundi, quoniam ibi Aristoteles naturam ob finem agere demonstrat, hoc ait,& in naturali,& in diuina scientia, haud dubie maximum existit fundamentum : Nam in illa hoc concesso, finis admittitur quo suscepto materiam, ob formam esse asseritur, demum uero agens ob aliquid mouens introducitur, in hac autem nempe diuina facultate eodem dato fundamento philosophus diuina contemplans, Deum horum inferiorum curam gerere edocere facillime poterit, siquidem natura ob finem agens, illumq; non cognoscēs, a perspiciente ipsum dirigitur, quod sané aliud esse nequit, nisi primum Ens, quam ob rem

Deus alia a' se percipit, quinetiam idem Auerroes quadragesimo tertio commento de anima secundi, hanc pulcherrimam promulgauit sententiam. Solicitudo (dicens) diuina indiuiduum idem numero perpetuari nõ posse uidens, miserta est, hancque ob rem sibi dedit uirtutem, qua saltem in spetie perennaret. Postremo ad hæc accedit, quod ab eodem trigesimo secundo cõm. primi de cœlo habetur ubi testatur se diu i hac speculatione, scilicet num circularis motus contrarium haberet nec ne, magnum suscepisse laborem. Demum a' Deo illuminatus ueritatem in ea repperit. omnino itaque Auerroes Deum alia a' se prospicere, ipsorumque curam gerere fateri urgetur, neq; illud sibi datum est asylum, in quod fugiens tutus esse possit. Nimirum Deũ asseuerans alia a' se non sub indiuidui sed spetiei ratione nosse, per spetiem, non eam audiendo, quæ iuxta illud esse, quod sibi in intellectu concceditur denominatur species, sed dininam essentiã, quæ planè ex se habet esse, reliqua uero ab ea illud participant, quare illa hac ratione species dici potest, hæc uero eius indiuidua. Equidem hoc ipsi Auerroy asylum esse nequit, quãdoquidem a ueritate obstrictus, quin testificetur Deum alia a' se & in sui essentia, & in proprio illorum esse

uidere, effugere non poteſt, hoc antem ita de-
moſtratur, enim uero Auerroes antequã in iam
enarrata difficultate: num motus in orbem fa-
ctus contrarium ſuſciperet nec ne, à Deo fuiſſet
illuminatus, eius ueritatem ignorabat, hocq́ ei
ſibi non ut in eſſentia diuina contento, ſed ut in
proprio ſui eſſe conueniebat. Nã quatenus in il
la, ipſemet Deus erat, cuncta cognoſcens, nul-
liusq́ ignarus, in proprio uero ſui eſſe ab illo di
ſtinctus erat, omniũq́ neſcius: qua de re ea fuit
illuſtratus ratione, qua cognitus fuit, at ut in
proprio ſui eſſe, non ut in eſſentia diuina lumine
fuit ſuffuſus, in illo enim & non in hoc eſſe lumi
ne indigebat: Auerroes ergo in proprio ſui eſſe
ſubq́ indiuidui ratione & non in eſſentia diuina
ſubq́ ſpetiei ratione dumtaxat à Deo cognitus
fuit. Cæterũ huic firmisſimæ ueritati, qua Apol
linis oraculum uerius non fuit, theologica atte
ſtatur ratio. Deus nãque omnes homines parti-
culatim iudicaturus cunctos eorum actus, qui
ſanè ſingulares ſunt, cernit quãdo, & quomodo
ſinguli fiant cognoſcens: iſtuc ipſum his confir-
matur, quæ Hebræorũ quarto egregiè ſcripta
ſunt. Deus cordis cogitationum, intentionumq́
diſcretor eſt, neque creatura ulla in eius conſpe-
ctu inuiſibilis eſt, omnia autem nuda, & aperta

oculis eius, ab eadem quoque ueritate non retraxit se Aristoteles ipse, de quo minus uidetur, qui (in Auerroys confusionem hoc dictum sit) capite decimo Ethicorum decimi perbellé eloquutus. Deus (inquit) optimo cognatoque gaudens perinde eum ac amicus, alterum amicum uisitat. Enimuero quam uani, fatui, atque mendaces sint, qui (ut suum defendant Auerroem) Aristotelem testantur ibi non ueré, sed probabiliter, ac moraliter loquutum esse, ex his liquido constat, quibus supra ipsum Auerroem (ut hanc fateretur ueritatem) impulsimus. Aristoteles namque si illa dixisset, non quia uera putasset, sed ut uulgum, quem moralia docebat, sub legis iugum misisset, cur mundum hunc superioribus asseruit continuari lationibus, ut inde omnis eius uirtus gubernetur, regimen quippè hoc cum a perfectissimo sit moderatore, erit etiam perfectissimo gubernandi modo, quippe qui per intellectum, atque uoluntatem existit, quare ueré, ueré ex Aristotelis sententia uniuersitas hæc a Deo recta, atque gubernata, ab eodem non modo ut in diuina essentia contenta: Verum etiam ut in proprio sui esse intelligitur. Nam in hoc, & non in illa indiget regimine, cum hic, & non inibi ab alio dependeat, quoniam

niam ueritatem ipsam docere tentasse; non sat est, sed etiam eam à calumniis uindicare necessum est, aliud pro huius ardui quæsiti sigillatione reliquum non est, nisi ut obiectionibus illi contradicentibus respondeamus. quam ob rem cũ Deum alia à se intelligere abnuebatur, idq; compluribus probabatur mediis. primo quidem, si illa cognosceret, uel intuitiuè, uel abstractiuè cerneret, at neutro modo ea appræhēdere pōt. quare. &c. Dicendum est, *D*eum alia à se unico actu & intuitiuè, & abstractiuè perspicere, abstractiuè sanè in suimet essentia, neque quoniã illa non in proprio ipsorum esse sed alieno, nimirum in sui ipsius, essentia uidet ea imperfectè cernere emerget. Tum, quia diuina essentia exactissime quo ad omnia illa repræsentat. Tum quia diuinus intuitus in ipsa essentia, quippè quæ illarum similitudo est, non sistit, sed ad res ipsas terminatur, secundo tamen, primo uero in suam essentiam intuitiua uerò quia unumquodque in proprio esse cognoscit, neque quia eas in suo ipsarum esse cernit; ipsum ab eis moueri, atque perfici asserere urgemur. *N*am alia diuinæ scientiæ non primum, sed secundum existunt obiectum; quare illius ipsa minime sunt causa,

ſed bene illorum ipſæ. Nempe hoc in loco nos illud præterire non debet, uidelicet Deum ſub alia, atque alia ratione aliud a ſe cognoſcere, idemq́; non cognoſcere; cognoſcere quidem ſub ratione terminantis, uerum non primo, ſed ſecundo, quoniam in uirtute primi obiecti, quod ſua eſt eſſentia, in qua omnia continentur, id euenit. ignorare uero ſub motiui, atque primo terminatiui ratione: ſiquidem nihil aliud a primo ente, eius intellectum mouere, nec primo terminare poteſt, alioqui in alio quam in ſe ipſo perficeretur. Inſuper cum idem per hoc oſtendebatur: nimirum, quoniam neque ſimplici, & incomplexa, neque complexa, Et diſcurſiua id fieri poterat intellectione, nempe illud hunc diluimus in modũ uidelicet Deum, & ſe, & alia ſimplici perſpicere intelligentia, affirmantes: qua ſané, neq; unum quin plura, nec plura, quin unum contemplatur. unum quidem ceu primum obiectum, primumq́; ſuæ intellectionis terminum; plura uero, tanquam ſecunda obiecta, ſecũdosq́; eiuſdemq́; intellectionis terminos. obiectũ porro primum, primusq́; terminus ſua eſt eſſentia, obiectum uero ſecundum terminusq́; ſecundus cætera ſunt ab illa diuerſa quæ plura exiſtunt; nec quia diuina ſcientia ſimplicisſima eſt eam

compoſitiones, & diſcurſus ignorare putãdum eſt: *Nam* quamuis in diuino intellectu nulla ſit ipſorum enuntiabilium compoſitio, uel diuiſio, nec diſcurſus, tamen hæc non ignorat, ſiquidem ipſe noſtrum uidens intellectum, in cuius poteſtate hæc cũcta ſunt, illa cernit: quare prædicta ipſe non cognoſcit componens, neq; diſcurrẽs, ſed ſimplici intelligentia, quæ utiq; ſua eſt eſſentia, diuini intellectus ſpeties omnia illi exactiſſime repræſentans. Vnde ueluti materialia immaterialiter cognoſcit; ita enunciabilia nõ enunciãdo, diſcurſusq; non diſcurrendo, ſed ſimpliciter Intelligit: id autem in quo idcirco *Deum* alia a ſe uidere negabatur quia ea, neq; uniuerſali, nec ſingulari perſpicit intellectione, ita profligamus. Scientia nanque diuina, & uniuerſalis, & ſingularis eſt, uniuerſalis quidem non per abſtractionem a materia, ſed per eſſentiam, quandoquidem eſſe diuinum, quod ipſius Dei exiſtit intellectio uniuerſale eſt per eſſentiam. Singularis autem, non quia ſingularia diuinum moueant intellectum, ſed quia illius ſecundum ſunt obiectum in primo obiecto contentum. non ergo ad hunc modum ponentes in Deo cognitionem uniuerſalem, & ſingularem, ut dicamus in eo ſenſum, qui ſingularis eſt, reperiri cogimur: quod autẽ

ſubinde adducebatur, Deũ ideo hæc ignorare, quia ut ea abſoluta, uel relatiua intelligat intelle ctione fieri nequit, per id demolimur. Nẽpe primum Ens oĩum cauſa exiſtens, ſe & alia cernẽs, ſe ut cãm, alia uero ut cauſata cõſpicit, atq; hæc ſua intelligentia abſoluta eſt, non relatiua. Nã eſſe cauſæ eſt relatiuũ relatione nõ ipſi cauſæ, ſed cauſato addita, cã nanq;, & effectus nõ eadẽ adinuicem referuntur ratione. ſiquidẽ effectus non autẽ cauſa per aliquid ſibi additum refertur. id autem, quod poſtea obiiciebatur, ſi Deus non modo ſe, ſed etiam alia cognoſceret, uel ſimul ſe & alia, uel ſucceſsiuè perciperet, & neutrum eſſe poſſe oſtendebatur/ita ſoluitur. intuitus quippe diuinus in ſuæ eſſentiæ uiſione non ſiſtit. Nã ad res ipſas ab ea alias etiam terminatur, ſecundo tamẽ, nec inibi. i. in ea intellectione ſucceſsio, uel ordo, uel pluralitas adinuenitur, ſed bene inter se hæc ad hũc ſenſum inter cognita ſunt: Nã huius intellectionis (ueluti ſupra expoſuimus) primum obiectũ, primusq́ terminus ipſa exiſtit eſſentia, cætera uero ſecundũ. Etenim a cæterarũ inſtãtia rũ reaſſumptione, atq; retextu. ſuperſedentes ea ſubiiciemus, quibus illas quiſq; propulſare ualeat. Hæc aũt eiuſmodi exiſtunt. Deus cũcta ſua ĩ eſſentia cernens, ea aliqua cum diſtinctione in ea reperta non perſpicit, quãdoquidẽ oĩa in una indiuiſibiliq́ eſſentia, tanquam in ſuæ intellectionis

primo,& obiecto,& termino,nec non ceu in causa omnia unitè indiuisibiliter simplicissime,eminentissime,atq; perfectissime continente, distinctio uerò,& diuersitas uisis,in rebus inerit, quapropter eadem intelligentia,eodemq; amore se, & alia intelligit,atque amat,idemptitate,atq; æqualitate in intellectione, atque amore ipso, diuersitate uero,& inæqualitate uisis, atque amatis in rebus adinuēta. Præterea Deus cognoscēs omnia,quæ infinita sunt, infinitum perspicit, neque hoc rationi dissonum est. Nam quamuis infinitum quatenus infinitum,per modumq; infiniti, nimirum eius partem post partem enumerādo,ignoretur,cum hæc eius enumeratio fieri nequeat,alioqui in se non infinitum,sed finitũ esset, tamen ut a diuino cernitur intellectu, per modũ finiti uidetur, nulla.n.in eo pars est,quæ ab ipso non intelligatur ,cum nulla sit quin per diuinam essentiam simul atq; distinctè suo repræsentetur intellectui.quod itaque in se infinitum est,ut con præhensum ab intellectu diuino finituũ est, quia nihil in eo est accipere,quin sibi sit perspspectũ. Deus itaq; quemadmodum materialia,immaterialiter,complexa, simpliciter,successionem habentia, simul,ita infinitum finitè compræhendit, neque se perspiciens alia non cernit,neque cōtra nimirum alia concernens, se non uidet, neque

a sui uisione in aliorum uisionem migrat, atque mutatur: sed simul cuncta percipit, prius tamen Natura, atq; principaliter suam essentiam, secũdo uero alia; quapropter intellectus diuinus in aliorum a se scientia minime uilescit. Nẽpe his, quæ dicta sunt duo sunt adiicienda, quorum alterum est, rationi haud dissonum esse, intellectum infinitum, illimitatumq́ cuiusmodi diuinus est intellectus simul plura, ut plura concernere alioqui infinitus, atque illimitatus non esset, alterum autem est: quam scientiam de contingentibus Deus tenet necessaria est. non quidem absolutè, sed ex suppositione, ad hunc quoque modum infallibilis est: quam ob rem è medio rerum contingentiam minime aufert, non est ut in præsentia pertractetur, num radix ipsius contingentiæ (ut Theologus uult) ita sit diuina uolũtas, quod si causæ secundæ auferrentur, adhuc contingentia remaneret, uel, ut Philosophi sentiunt, illa sit dũtaxat causa secunda, neque est ut modo perscrutari uelimus; num Aristoteles tenens primam causam, necessario agere, atque mouere, possit (ceu Diuo Thomæ uisum est) ipsam saluare contingentiam, uel eam (ut Scoto arrisit) defendere nequeat. Enimuero ex hactenus explicatis, non modo obiectionibus aduersus hoc, nimirum pri-

mam causam,& alia a se, & in proprio ipsorum esse conspicere efformatis,sed etiam cũctis aliis, quæ efformari possent, quisque illa considerans satisfacere ualidus erit. Hæc quidem dicta sint in præsenti speculatione, quam superis auguste annuentibus alia sequetur indagatio, plane non minus desiderata. Num scilicet humanus intellectus magnitudini coniunctus substantias abstractas intuitiua cernere posit intellectione; huncq; in modum per quas descẽdimus schalas; ascenderimus: descendimus sanè, iuxta quem in uestigantes modum supremus ille intellectus hæc infima cognoscit: ascẽderimus autem, quanam indagantes ratione humana mens ipsum infinitum, atque supremum Ens prospiciat: quas ob res reliquum aliud non est, quàm ipsum cunctis rogare uotis, ut hoc aliaq; a nobis absolui posse, concedere dignetur. Interim uerò uos cãdidati Iuuenes fœlicem studiosamq; in Deo uiuatis uitam.



Finis, in quo, cunctisq; in aliis laus sit omnipotenti Deo.